

iniurietur alicui & uelit ipsum contempnere & improprium sibi facere dum 88^r
obuiat sibi in uia mastigationem illam de ore accipiens in faciem eius prohicit
& dicit tu non uales isto scilicet id quod prohicit. ille uero ad magnam reputans
sibi iniuriam & contemptum statim regi conqueritur qualiter eum talis contempserit
& anichilauerit & rogar eum ut det sibi licenciam de uindicta videlicet quod si
iniuriator contempserit eum & gentem suam petet licentiam quod uelit experiri
personam suam & gentem cum persona illius qui iniuriam fecit & cum eius gente &
ostendere utrum ualeat necne si uero contempserit personam eius solum petet
licentiam de persona ad personam & tunc rex utrique parti licentiam elargitur
si uero debeat fieri prelum de gente ad gentem uterque cum gente sua ad prelum
preparatur & curacie quas ad defensionem induunt & portant est pellis quam matres
eorum sibi primitus donauerunt. cum sunt in campo prelum incohant & se
feriunt vulnerant & occidunt nam leuiter eorum gladij se infingunt & cuilibet
ipsorum facilis patet introitus. ibi erit rex & multitudo gentium ad negotium
intuendum & cum rex plures uidebit a parte utraque interremptos & quod una
partium uidebitur potiorem locum habere & aliam superare ponet ad dentes faldam
unam cuiusdam pani quem circum se habebit. & ab alia parte tenebit cum manu
& tunc statim preliantes cessant a prelio nec amplius imprimitur ictus & pluries
ita ffit si fiat de persona ad personam erunt nudi ambo sicut continue solent ire
& quilibet unum habebit cultelum. | sciunt quidem cum cultelis illis optime 88^v
tutaminari nam ualde bene se cum ipsis cohoperiunt & aduersarium offendunt
ymo faciunt sic sicut intellectis nigri sunt & unus faciet alteri circulum unum
de colore albo supra carnes ubicumque uolet & dicet ei scias quod te in circulo
feriam & non alibi caueas tibi quantum potes & sic faciet alter ei qui melius bene
sibi qui peius peius sibi quia quocumque unus alterum atingat satis potest ipsum
sentire.: /

Hic narratur de regno coilon/

*hic sunt aliqui ydolatri
xristiani & iudei*

Coilon est quoddam regnum quod inuenitur versus garbin. discedendo a
prouincia maagabar ipsius gentes adorant ydola sunt etiam ibi xpistianj
& Judei & per se loqueland habent rex istius regni nuli reddit tributum
nascitur quidem in isto regno berci coilomin qui multum est bonus & piper in
magna habundantia. Nam per omnes campaneas & lucos nascitur in magna
abundantia & recoligitur in mense madij Junij & Julij & arbores que piper produ-
cunt adaquantur & sunt domestice arbores habent etiam indum ualde bonum in
magna habundantia & fit de erbis nam erbas illas absque radicibus in magnos
mastelos ponunt & postmodum mitunt aquam in ipsos & tantum sic esse dimitunt
quod erbe putrescant & remanet ibi sucus tunc ponitur ille sucus ad solem. qui
propter feruentem calorem solis in tantum bulit & consumatur quod desiccatur